

dum, ex sermonis paullini cohaerentia : Cum enim de iis, qui gustarunt hocce donum dicatur, quod ad poenitentiam denuo renouari haud possint, patet, quod eiusmodi homines, vbi gustarunt illud donum, fuerint vera poenitentia ac fide ad deum conuersi, ergo de eiusmodi dono hic est sermo, quod iis dari solet, qui vera fide sunt praediti. Non definit Apostolus, quodnam praecise ex variis donis, quae vere credentibus concedi solent, innuat, ergo ex mente eius vox δωρεὰ indeterminate de quocumque dono, quod sanctis hominibus conferri consuevit est explicanda. Vbi haec δωρεὰ dicitur ἐπεράνιος, obseruandum est, quod vox ἐπεράνιος proprie et formaliter denotet id, quod est in locis superioribus, seu in caelo, conf. 1. Cor. XV, 40. at uero hanc notionem hic locum inuenire haud posse, quilibet facili perspicit opera, si enim hic denotaretur donum quod existat in caelis, quo pacto illud homines, qui in hac terra versantur possent gustare? ergo per δωρεὰν ἐπεράνιον potius est intelligendum *donum caelitus concessum, seu ex caelestibus profectum*; iam vero in caelestibus non est, qui homines sanctos donis suis posset exornare, si a deo discesseris, omnis enim donatio bona, et omne integrum donum est superne, descendens a patre luminum Jac. I. 17. Hinc ergo facile intelligitur, quod δωρεὰ ἐπεράνιος hic sit *quodcumque donum, quo deus vere credentes cumulare consuevit*, quale est remissio peccatorum, pax conscientiae, incrementum fidei etc. Non ergo auris est praebenda iis, qui donum quoddam determinatum hic innui statuunt, ac quodnam illud sit, operose disquirunt, de quibus vide B. GERHARDVM atque SCHMIDIVM *adh. l.*

C

§. XIII.